



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ethices Christianae, Libri Tres

Daneau, Lambert

Genevæ, 1579

Cap. XXI. Admonitio vtilis de tota Lege Dei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41242



CAP. XXI.

Admonitio utilis de tota Lege Dei.

Sed quia virtutis omnis laus & huius cogitationis finis in actione consistit, addidit Scriptura post Legem editam atque recitatam, & promissiones, & minas, ut ad illius observationem invitaremur.

Ac promissiones quidem ingentes, quæ extant, Deuter. 28. Isa. 41. versu. 8. & seq. & cap. 54. tum in nostrum fauorem, tum in hostium & inimicorum nostrorum perniciem.

Ac illæ quidem promissiones & benedictiones, quæ in nos conferuntur, spectant partim nos ipsos nostrasque, ut loquuntur personas: partim res nostras, qualia sunt coniugia, liberi, bona, existimatio, siue nominis nostri fama: partim actiones & opera nostra: denique tempora ipsa vitæ tranquillæ & pacificæ, Mich. 4. versu 3.

Imprimis autem ingens est, & infinita illa benedictio, Homo qui ea fecerit, viuet in istis, Leuit. 19. versu 5. Galat. 3. versu 12. Ezech. 20. versu 21. per quam vitam æternam illi promitti certum est, qui Legem Dei omnino implevit, ~~qui ea operari potest, & non potest, & non potest, & non potest.~~

Quæ autem in hostium nostrorum perniciem Deus effatur, ea certè quidem internecionem, atque eorum interitum perpetuum denuntiat,

Amos

Amos 1. & 2. Nah. 3. vers. 19. Sophon. 2. versu 4.
Zachar. 12.

Quia verò nescio quo carnis suæ sopore sepulti, & voluptate inescati homines mirè in suis vitiis torpent, ac velut lethargici facilè ab iis excitari non possunt, sunt minis, tãquam durissimis acutissimisque flagris & stimulis, expergefaciendi, ne si suo more & ingenio viuere sinantur, miserè tandem pereant, 1. Corinth. II. vers. 32. Itaque ad Dei minas diligenter esse attendendum docet Propheta Am. 3. v. 5. adeò vt si quis eas irrideat grauíssimè castigetur. Deut. 29. 19.

Ac minæ quidem illæ Dei in suæ Legis contemptores ingentes, & grauíssimæ continentur eodem illo Deuter. cap. 28. & Hierem. 4. ver. 19. & 28. Neque maiores tamen, quàm par sit, & quàm quas ipsi peccantes meremur. Nam peccati stipendium mors est, Rom. 6. v. 23. & Deus semper modo & ratione punit, Hier. 10. v. 24.

Minæ autem Dei, sicuti promissiones, tum in nos ipsos, tum in res, tum in opera, tum etiam in tempora vitæ sunt: Imprimisque est illa grauíssima Dei in nos immorigeros & inobsequentes comminatio, Homo qui non persistet in iis omnibus, maledicetur, Deuter. 27. vers. 26. Galat. 3. v. 10. Quæ certè pœnæ in nos durabunt, donec verè pœniteamus, & ex animo ad Deum conuertamur, eiusque obsequium. Placatur enim Deus erga pœnitētes magna sua per Christum misericordia, Ose. 5. vers. 14. & 6. v. 1. Amos 5. 9. Soph. 2. v. 1. ~~non propter eorū pœnitentiam.~~

Has autem minas vt melius in nostram ædificationem meditemur, hæc duo velut *ἀξίωμα*

Q

7d & effata Theologica statuenda sunt & co-
itanda.

1 Deum vlcisci & vindicare nominis sui contemptum, vt est Hierem. 24. 9. Ioel. 2. Neque enim, vt cunque sapè tardet, vlius sceleris à nobis admissi obliuiscitur Deus, Psalm. 90. 8. Ose. 7. 2. Sed tarditatem pœnæ grauitate supplicij compensat. Et quamuis calamitatum suarum causam in Deum ipsum, & eius doctrinam impij iam pridem retorquent & deriuant, Hierem. 44. vers. 18. tamen falluntur. Nam immittuntur à Deo propter nostra scelera iustè. Mich. 1. 12. Amos 3. 6. propter quæ non solùm homines ipsos, sed etiam reliqua omnia prorsus euertit & excindit, Ioel 1. v. 7. Ose. 4. vers. 3. & 7. v. 13. Soph. 1. v. 3. Neque etiam apud Deum nos excusat vel mos, vel peccantium multitudo, Exod. 23. vers. 1. & 2. quando, vt ait Hieronym. epistola 38. peccatium multitudo non parit errori etiam, apud homines, patrocinium.

2 Secundum *ἕξιμα* est, Horrendum esse in manus Dei irati incidere, vt est Hebr. 10. 31.

Primùm quia infinitis modis & pœnarum generibus homines sibi rebelles punit Deus, Nempe,

Per Angelos tum bonos, tum etiam malos, Exod. 14.

Per homines, & eos quidem partim nobis amicos atque domesticos: partim autem extraneos & inimicos, quos in nos armat, animat, excitat, atque impellit, Hierem. 13. v. 14. & 19. v. 9. Amos 7. 1. Habac. 1. Ioel 1. 6.

Per bruta & fera animalia, vt est Hierem. 8.

17. quæ

17. quæ in nos animat.

Per mundi huius elementa, velut cælum. Est enim cælum pœnarum diuinarum thesaurus. Leuit. 26. 19. Deut. 11. 17. & 28. 23.

Per res inanimes, veluti per morbos omnis generis, imprimis autem per pestem inobsequentes castigat Deus, Exod. 15. v. 26. & 23. v. 26. Deut. 28. 35. Amos. 4. 10.

Per gladium & bella, Ose. 11. 6. Ezech. 5.

Per famem, quam immittit, dum vim panis infringit, Ose. 9. 3. & 13. 15. Amos 49. Agg. 2. 15.

Per ignem, Os. 8. 14.

Per furorẽ animi immisũ, Ose. 9. 7. Am. 2. 14.

Per pudorem & ignominiam, Ezech. 5. v. 25. Hierem. 24. 6. Roman. 6. 21. Psal. 119. 39. Sophon. 3. vers. 5.

Per captiuitatem, Ose. 9. 7. Hierem. 15. 2.

Per impœnitentiam denique, & sensum reprobum, in quem eos tradit, Ose. 11. 7. Mich. 2. 11. Roman. 1. 28. & 2. Theff. 2. 11.

Præterea nihil eos è Dci manu potentissima & longissima potest eripere,

Non nox, non dies Psal. 139. 11.

Non corporis robur, aut celeritas fugę, Amos 2. 14.

Non eorum Principes, Ose. 8. 4. & 10. 3.

Non oppida munita, Sophon. 1. 13. & 2. 14. Isa. 34. 11. Amos 3. 15. Malach. 1. 4.

Non denique aurum eorum, aut argentum eos eripiet, Psal. 49. Ezech. 7. 19. Sophon. 1. v. 13. Zachar. 9.

Demum, nusquam eius pœnæ finis erit. Ex malo enim in aliud malum incident, & abyssus

Q. ij.

Cap. 21. ETHIC. CHRIST.

abyssum inuocat & accersit, Amos 5.19. Psal. 42. 8. Non cessabit enim pœna, donec à radice impij & obstinati excendantur, Psalm. 53. Ose. 9. 16. Amos 9. 1. & sine sepulchro inhonorati iaceant, Hierem. 8. 1. & 6. 6. & 22. 19.

Has autem pœnas si quis irrideat, Deus in eum iudicium, iramque grauissimam comminatur, Deut. 29. 19.

Ex quibus apparet, quàm sint formidanda Dei Optimi Maximi in nos iudicia, cuius est & potestas immensa, & ira, atque vis intolerabilis, Nah. 1. Psal. 90. 11. Ergo Legi Dei parendum est. Atq; ex his omnibus totum illum de Lege Dei tractatum concludimus.

Ad

